

CAPUT XVI.

rum movet, sed de gratia præoperante, qua vere, & realiter voluntatem movet, & ex nolente volentem facit, ut millies clamat S. Augustinus contra Pelagianum, & ejus sectatores. Atque ita desit disputatio.

Postmodum, jubente Congregationis Capite, ut tertiæ, & quartæ propositioni (de quibus Prædicatores abunde dixerant) Jesuitæ satisfacerent; responderunt, ea se refumere velle, quæ die prima Februarii minus cumulate dixissent. Prolixiora itaque scripta legerunt, quibus primam, alteramque propositionem Theologorum testimoniis, ac rationibus astruere nitebantur.

Absoluta lectione, *Subterfugitis*, inquit Lemos, punctum difficultatis maxime. Quoniam Molina dixit, Deum ex certa lege conferre auxilia Gratia homini sic credenti; idcirco nos instamus, quod ponat initium salutis ex nobis, & ex bono natura. Id usquam a Molina dictum, subdubitanter negavit Cobos: tum producto per Thomam de Lemos testimonio, factus est, benignaque interpretatione emolliere voluit. At molestius in oppositum urgente Prædicatore, hæc una Jesuitarum responsio fuit: *Precaur*, inquit, Consultores alloquens, *Dominations Vestras*, ut patienter serent raritatem nostram in respondendo ad propositas nobis alias propositiones. Non enim possumus, quod maxime optaremus, ita facile colligere, quæ expendenda nobis videntur, pro defensione Viri Catholicæ, & pii, in iudicium vocati; tum propter egram valetudinem Patris Cobos, qui fere semper dolore capitis torquetur; tum etiam quia Pater Arrubal, cum sit publicus Professor, oportet, ut oneri sibi imposito satisfaciatur.

Iniecit ad hæc Thomas de Lemos affectatæ dilationis accusationem. quam cum illi eluere vellet, partim exaggerata rei difficultate, quæ ultra Prædicatorum voluntatem diutius expendi deberet, partim alienis negotiis, quibus ipsi detinerentur, abundantius jactatis; reposuit D. Cariatenis, ut & ipsi attendere. Illustrissimos Episcopos graviora negotia seposuisse, propriisque desertis Ecclesiis, in hujus unius Congregationis curam intendere. Quare nec nimium fore, si & illi, cæteris prepositis curis, huic uni incumbere; suasque ad tertiam, & quartam propositionem responsiones quantocius afferrent.

Die 8. Februarii 1601. convenerunt apud D. Cariatensem, cum Dominis Consultoribus Prædicatores, ac Jesuitæ ad sextam Congregationem habendam.

Præmissa oratione, monuit Illustrissimus Præses, alias a S. D. N. veritum fuisse, ne in hisce conventibus disputationes instituerentur. Quapropter utrique parti prohibuit, ne sua de propositionibus, ac censuris judicia contentiose proferrent, neve quisquam injussus loqueretur, aut loquentem interpellaret.

Prædicatoribus subinde innuit, ut, si quid ultra de tertiæ, & quartæ propositione dicendum occurreret, in medium adducerent. Quibus nihil ultra desiderantibus, Jesuitis dicendi venia data est.

Dixit itaque Christophorus Cobos de tertiæ propositione, quam & Molina factus est, & Censura injuste notatam asseruit. De quarta nihil habuit, concessi sibi temporis brevitate causatus. Quapropter Judices rogavit, ut semel tantum in hebdomada Congregationes haberentur. Respondit, ea de re deliberatum iri, atque interim quinta, & sexta propositio, apposita cuique Censura, utriusque Patribus data fuit, suas ad diem duodecimam responsiones paraturis.

Quid a septima quarti hujus examinis Congregatione ad undecimam usque tractatum ac definitum.

Die 12. Februarii 1601. apud D. Cariatensem Congregatio septima celebrata est. Actum in primis inter Consultores de Patrum Societatis supplicatione, nuper oblata. Statutum est, unicam deinceps qualibet hebdomada pro partibus audiendis Congregationem celebratum iri die Lunæ: alteram tamen die Jovis habendam, cui soli Consultores pro examinandis partium responsionibus interessent.

Vocatis denique utriusque Patribus, accessit loco Christophori Cobos Gregorius de Valentia. Is sincere respondendi, servandique silentii Sacramentum emissurus, nulloquam adduci potuit, ut debita forma juraret. *Juro*, inquit, quod alii jurarunt: nec aliud umquam ab illo obtineri fas fuit: quantumque ea loquendi ratio aperta æquivocatione laboraret.

De quarta propositione in Molina defensionem copiose dixit Petrus Arrubal.

Tum ad quintam, & sextam, jubente Præside, properarunt Prædicatores. Ita vero se habebant illæ, hisque Censuris jam ante notatæ fuerant.

Quinta Propositio.

Deus sine ulla intermissione ad ostium cordis nostri stat, paratus semper conatus nostros adjuvare, desideransque ingressum; non tamen sine intermissione pulsat specialibus auxiliis, sed sæpe, non solum quando apta occasio se offert, sed etiam quando torpens, ac pigrum liberum arbitrium prospicit.

Ita docet Molina in sua CONCORDIA, quæst. 14. art. 13. disp. 10. §. 1. Circa finem.

Censura.

Hæc propositio videtur asserta contra expressam definitionem Concilii Arausiaci H. can. 4. & 6. Fuit etiam tradita a Cassiano, ut apparet apud S. Prosperum lib. contra Collat. cap. 16. Ita Faustus Rhegiensis lib. 1. de grat. cap. 7. quam impugnat S. Prosper loco citato, & S. Augustinus lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 2. Quam etiam D. Cardinalis Bellarminus agnovit, fuisse Cassiani, & Fausti errorem, lib. 6. De grat. & lib. arb. cap. 8. §. Hæc igitur.

Sexta Propositio.

Licet auxilium supernaturale Gratia non sit simpliciter necessarium, ut liberum arbitrium assentiatur actu mere naturali iis, quæ fides docet, sed solum ut assentiatur, prout oportet ad salutem, nihilominus quam sæpissime non solum consent, ut assensus eliciatur, qualis oportet, se etiam ut simpliciter eliciatur; eo quod liberum arbitrium neque supernaturalem, neque naturalem assensum tunc eliceret, nisi divinitus illustraretur intellectus, & supernaturaliter voluntas excitaretur, alliceretur, & suavitè ad assensum traheretur. . . . Atque hoc innunt simul Scripturæ Sacræ, quæ docent, fidem donum Dei esse, ad eamque homines tractu, & impulsu Spiritus Sancti perducit. Ita docet Molina in sua CONCORDIA, quæst. 14. art. 13. disp. 7. §. Illud tamen.

Censura.

Apparet ex his propositionibus, quam confert Molina loquatur, insidendo semper vestigiis Cassiani, a cuius doctrina nequaquam discedere iudicabitur, si tam Cassianus, quam S. Prosper attente legatur contra Collat. cap. 38. Ad

Ad eas ergo, jubente Præside, Prædicatores properarunt. Qui, ut Secretarii verbis utar, debita submissione, solitaque modestia responderunt; easque & a Molina vere assertas, & a Congregatione debita Censura confixas, professi sunt.

Molina contra Prædicatores defensionem arripuit Gregorius de Valentia, brevis quidem solito, Sed ita leviter, inquit Actuarius, & debilibus rationibus curavit excusare Molinam ab errore, ut potius visus sit confirmasse Censuram, quam excussisse illius fundamenta. Tanta tamen audacia Prædicatores ad concertationes provocavit, ut inanes clamores, vanosque tumultus Consultorum auctoritate sedari, necesse fuerit.

Suas utrique Theologi responsiones scripto reliquerunt; septimæque, & octavæ propositione cum utriusque Censura de manu Secretarii suscepta, recessere.

Interea de ferendo iudicio inter Consultores agi cepit, quæque forent in instituendo examine servandæ rationes, statuerunt. Harum potissima fuit, ut clarissimus Bossutius propositionum defensiones, clarior, qua posset, methodo digestas, ad sacrum Consessum statis diebus referret, & exponeret: universi tamen studium, ac laborem ad eam examen impenderent: ob id enim propositionum controversarum, scriptorumque partis utriusque transumpta singulis tradebantur, ut omnia per otium meditarentur, ac vota pararent.

Addunt ad hæc clarissimus Pegna, & Thomas de Lemos, (1) Episcopum Cariatensem Congregationi retulisse, quo pacto Societatis Præpositus apud ipsum superiores die conucltus esset, impletum non iri Sanctissimi voluntatem (qua Pelagianorum, & Molina CONCORDIAM expendi iusserat) nisi de illorum erroribus in antecessum ageretur; eundemque Illustrissimum Præsulem Jesuitis præcepisse, ut Præpositio suo significarent, nec Sanctissimi mentem religiosius impleri, nec Pelagianorum, ac Molina consonantiam feliciter detegi posse, quam si Concordiam illam in cuiuslibet propositionis examine pro more suo Congregatio sigillatim expendere.

Die 15. Februarii 1601. octavum Conventum egerunt soli Consultores apud D. Cariatensem, ad primæ propositionis, ejusque defensionum examen. Facta relatione per doctissimum D. Bossutium, rebulque per quatuor ferme horas mature discussis, Omnes, inquit Secretarius, uno Carmelita excepto, censuerunt, persistendum esse in Censura facta in dictam propositionem. Plumbino dumtaxat scrupulum movit Pelagianismi nota, huic propositioni impacta; tamen propositionem ipsam, uti falsam, & totius Theologica, ac Philosophicæ Scholæ principis repugnantem, condemnaverit: Plumbinus (verba sunt Secretarii) asserbat, propositionem falsam esse omnino, & contra universam Scholam Philosophicam, & Theologicam, secundum quam sæpius clamabant, concedendam esse necessario intimam Dei motionem in causis secundas, nedum in effectus: prænoterere Deum, & præterminare voluntatem nostram, physico, & realiter ad actus bonos, tam naturales, quam supernaturales: non tamen se auctore simpliciter subscribere Censuræ, quod scilicet non discederet a sensibus Pelagianorum.

Instrumentum confirmationis Censuræ in hunc modum editum est, & a Consultoribus subscriptum.

Assit Spiritus Sancti Gratia.

(2) In nomine D. N. Jesu Christi Amen. Anno salutis 1601. die vero 15. mensis Februarii, quæ fuit dies Jovis, habita fuit Conv. Serry Tom. I.

(1) In Diarii. (2) Exstat in Actis Coconelli cum aliis sequentibus.

gregatio apud Rev. D. Cariatensem ad expendas responsiones, & defensiones, quas Patres Jesuitæ obtulerunt sacre Congregationi ad excusandam primam propositionem P. Molinæ.

Expensis defensionibus, & responsionibus Patrum Jesuitarum, post longam discussionem sacra Congregatio censuit, non esse discendum a sententia, sed potius persistendum in Censura primæ propositionis.

Ita est F. Propertius Resta, Episcopus Geruntinensis, & Cariatenis.

Ita est: ego F. Julius, Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita est: ego Lælius Landus, Episcopus Nebrionensis.

F. Hippolytus Episcopus Montis Pelusii confirmo.

Ita est: F. Hieronymus Palantierus, Franciscanus Conventualis.

Ita est: ego F. Joannes de Rada, Ord. S. Francisci de Observantia Generalis Procurator.

Prima propositio, Congregationi nostræ adducta adversus Molinam, non placet in illo, quod docet, nempe influxum Dei generalem non agere in causam secundam. Ego F. Joannes Baptista de Plumbino, ut supra sentio.

Ita est: ego F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ego F. Joannes Antonius Bovius, Carmelita, in prima hac propositione nihil agnosco, quod sanæ doctrinæ contradicat.

Ita est: ego F. Jacobus le Bossa, Benedictinus, Doctor Sorbonicus.

Ita est: ego Ludovicus de Creil, Sorbona Parisiensis Doctor.

Die 19. Februarii 1601. convenerunt ad novam Congregationem, una cum meritissimis Consultoribus, amorum Ordinum Theologi. De septima, & octava propositione, Censurisque, quibus jam ante confixæ sunt, agi ceptum est. Sic vero habebant.

Septima Propositio.

Quoniam facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam, Christusque nobis promeruit auxilia, non solum quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficeret, quod in nobis est, præsto essent, ac prævenirent, ut sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam, sed etiam quibus sæpe excitemur omnino; inde est, quod, quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore, efficiendumque totum, quod potest, circa detestanda peccata commissa, & cavenda in posterum omnia lethalia, præveniatur a Deo affectu, doneque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum Sacramento est necessaria, ut peccata deleantur.

Ita docet Molina in sua CONCORDIA, quæst. 14. art. 13. disp. 14. mem. 5. §. Post hæc, & §. Illud tamen.

Censura.

Non recedit Molina a doctrina Cassiani, quem apparet Doctorem habuisse in scribenda ista sua CONCORDIA Liberi Arbitrii cum Divina Gratia, tum ex locis citatis in Censuris aliarum propositionum, tum etiam ex Cassiano, Collat. 13. cap. 8. & in eodem libro S. Prospero contra Collat. cap. 3. §. Qui cum in nobis; quæ cum S. Prosper ibi dicit non posse ad sensum Catholicum reduci, ostendit aperte, universam hanc doctrinam Molinæ finis

Q. 2.

tra.

traditam esse; nec nos posse catholice illam interpretari, cum expresse doceat, posse hominem ex viribus naturalibus conari ad detestanda peccata commissa; quem conatum infallibiliter consequatur auxilium Gratiae Divinae, affectusque, & donum timoris supernaturalis; ut pote ex certa lege a Deo Patre cum Christo Filio suo constituta. Quem errorem impugnat S. Prosper lib. cit. cap. 7. 8. 16. & sepe alias: item S. Augustinus lib. 2. ad Bonif. cap. 10.

Octava Propositio.

„Eo modo Deus sua sapientia leges, quibus vitam spirituales, atque ejus incrementum conferret, accommodavit, ut, sicut per gratiam hominis naturam ex se liberam perficeret, ita etiam ante receptionem Gratiae, & in ipsa Gratiae receptione, ac postea in augmento illius suum locum libero relinqueret arbitrio, quatenus ita ipse auctor esset omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominus Libero Arbitrio propria laus, & industria servaretur.

„Hæc Molina in sua CONCORDIA, quæst. 14. art. 13. disp. 9. §. *Ut que*, & disp. 12. §. *Primo*, & §. *Senfus*.

Censura.

„Sane tanto studio P. Molina evehit Liberi Arbitrii vires, ut illud videatur constituere integrum, non læsum per peccatum originale; & tanta aviditate exposcit proprium conatum, & propriam industriam, cui præsto existat auxilium Gratiae, ut conversio laudi ipsimet peccatori tribuatur: quasi vero nullius laudis esset, si conatus ille, & industria Gratiae Divinae adjutorio præveneretur; ut illi obijci posse putemus, quod S. Prosper Cassiano objecit lib. contra Collat. cap. 26. Exigua conclusione pene totum Pelagianum dogma confirmas. Videatur etiam cap. 38. & definit. 1.

Dixit ergo Didacus Alvares de septima, & octava propositione, quas & a Molina propugnatas, & a Congregatione merito confixas, asseruit. Judicium scripto reliquit, in Congregationis commentariis reponendum.

Pro Molina sutori sermone peroravit Gregorius de Valentia. Primo quidem universim doctrinæ ejus orthodoxiam ex Academiæ approbatione commendavit: tum propositiones septimam, & octavam, quas & Molina vere petitas, falsas est, uti maxime Catholicas, defendit: *De his tam multa dixit extra causam* (Notarii verbis utur, ne ad invidiam loqui videar) ut omnes mirarentur hominis ingenium. Nam exorsus, explicare secundum Concilium Tridentinum, quodnam esset justificationis initium, & unde sumendum, tam ultra involvit, tamque subtilitate, vel potius sagacitate, & calliditate, ut verborum furo, & affectus quibusdam admirationibus ostendere videretur, similiter Molinam de exordio justificationis susse philosophatum; cum tamen longe aliter sese res haberet. Proferebat quasdam Molinæ sententias, ambiguas illas quidem, sed que facile possent explicari ad bonum sensum, quævis & in illis, æque expensis, aliquid veneni lateat: que Molinæ mentem aperuim, silentio obvolvunt. S. Augustini, S. Prosperi, & Conciliorum sententias aperitissimas, ex quibus Semipelagianorum, & Molinæ errores redarguntur, ad suffugium, quo Molinam protegere constituerat, oculis, risu, gestu, corporis motu, & multo verborum apparatu retorquere conabatur: ita sane, ut non tam Molinam excusare, quam Sanctorum, & Conciliorum doctrinam obscurare videretur.

Post causæ actionem Prædicatores risu, & cachinnis illius Petrus Arrubal, quasi qui Molinæ

mentem præposere attigissent; eosque ad reponendum provocavit Gregorius de Valentia.

Jubente itaque sacro Concessu, duo subjuxit Didacus Alvares. 1. Perperam Prædicatoribus improbratum, quod fuscipiam a Molina Liberi Arbitrii defensionem moleste tulissent, quam & ipsi, servatis Gratiae juribus, æquiori zelo suscipiant. 2. Propriam homini laudem, atque industriam ab ipsis eo sensu servari, quod ille revera operetur, & agat, non quod nativis per sese viribus adnitatur. Cæterum cum nonnulla Molinæ loca, quibus voluntatis naturalia desideria a Deo ex certa lege adjuvari docet, emollire tentasset Petrus Arrubal, ac naturalia per necessarium usurpationem respondisset; insisterunt Lemos, & Alvares, nec sic quidem Molinam in tuto positum iri, quippe qui justificationis initium eo etiam pacto in sola natura reponeret.

Dicentem Alvaresum non semel interpellare tentavit Gregorius de Valentia: at silere iussus, ad finem usque sustinuit. Tunc collatis cum Arrubale studiis, atque viribus, Prædicatorum responsa confutaturus, superiora dicta recudit. *Primum G. de Valentia*, inquit Secretarius, *postea Arrubal*, eademmet experunt iterato sermone referre; quo nonnihil tædii auditoribus pepererunt. Demum indico silentio, datisque propositionibus nona, ac decima, utriusque Theologi recessere; nec multo post Congregatio soluta est.

Die 22. Februarii 1601. Consultorum Conventus decimus apud D. Cariatensem habitus est, ut de secunda Molinæ propositione, ejusque defensionibus judicaret.

Expofuit in primis Joannes de Rada, Jesuitas nonnullis Romanæ Curia Principibus insulurasse, nec se satis in Congregationibus audiri, nec suas ab omnibus Consultoribus responsiones expendi. Hujuscæ inanis querelæ occasione, edito decreto, præfiderunt sapientissimi Patres. Prædicatoribus, ac Jesuitis perinde justum fuit, ut tot deinceps responsonum suarum exemplaria deferrent, quot Consultores aderant; suaque secum scripta communicarent, quo quisque pro libito reponere posset.

Audita deinde doctissimi Bossutii relatione, Societatisque defensionibus per horas quinque discussis, omnes, Plumbino, & Bovio duntaxat exceptis, pro pristina Censuræ confirmatione pronuntiarunt. Id vero in Plumbini suffragio lepidum fuit, quod eo maxime tenderet, *ut de propositione ferretur judicium, abstrahendo illam ab omni consideratione doctrine, & scopi Molinæ, & absque eo quod ad aliquam aliam circumstantiam, vel partem alteram propositionis referretur.*

Festivam illam de dogmaticis quætionibus censefendi rationem moleste tulit Gregorius Coronellus, viroque dignam ostendit, qui reo, posthabita quacumque juris norma, gratificari velit.

Decretum sub hac forma instructum, ac Censuræ subscriptione munitum fuit.

„Die Jovis 22. Februarii 1601. habita fuit Congregatio apud R. D. Cariatensem, in qua discussæ fuerunt propositiones secunda P. Molinæ, & defensiones, quas Patres Jesuitæ obtulerunt Sacra Congregationi ad eandem propositionem. Quibus expensis, & consideratis, decretum fuit, persistendum esse in Censurâ, exceptis tamen RR. PP. Procuratore Generali S. Augustini, & Regente Collegii Carmelitarum, qui, quoniam peculiariter censuerunt, explicabunt sententiam suam subscribendo.

„Ita est: F. Propertius Resta, Episcopus Geruntinensis, & Cariatenfis.

„Ita est: ego F. Julius Sanctius, Episcopus S. Agathæ Gothorum.

„Ita

„Ita est: ego Lælius Landus, Episcopus Neritonensis.

„F. Hippolytus, Episcopus Montis-Pelufii confirmo.

„Ita est: F. Hieronymus Palantierus, Franciscanus Conventualis.

„Hanc propositionem secundam non absolute assero esse Pelagianam, sed in ordine ad septimam dico esse Semipelagianam. Ego F. Joannes de Rada Ordinis S. Francisci Procurator Generalis.

„Propositionem secundam non esse Pelagianam, neque Semipelagianam, sentio Ego F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini, salvo semper meliori, ac saniori judicio, atque censura.

„Ego F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius persisto in Censurâ.

„Ego F. Joannes Antonius Bovius, Carmelita secundam hanc propositionem quoad omnes sui partes censeo in fide tutam, & a pluribus gravissimis Scholasticis doceri, ut fufius explicavi in secundo nostro Scripto, parte prima.

„Ego F. Jacobus le Bosu, Benedictinus, & Doctor Sorbonicus persisto in Censurâ.

„Et ego Ludovicus de Creil, Sorbonæ Parisiensis Doctor.

CAPUT XVII.

Quid ab undecima quarti hujus Examini Congregatione ad decimam quintam tractatum, ac definitum.

Die 26. Februarii 1601. Congregatio undecima celebrata est apud D. Cariatensem, ad quam amborum Ordinum Theologi, perinde ac Consultores accesserunt. Tractatum hic primo de nona, ac decima propositione Molinæ, Censurisque, in eas jam ante ditridis. His verbis expressa erant.

Nona Propositio.

„Vocatio Dei interna ad fidem, interior excitatio fidelis ad penitentiam per gratiam prævenientem, immo & illustrationem, & auxilia, quibus justificati a Deo adjuvantur, tum ut majora Spiritus incrementa percipiant, tum ne tentationibus succumbant. . . . pendunt quam maxime a libero arbitrio ejus, qui vocatur, & excitatur; tum quia potuit accedere, aut non accedere ad audiendum, vel legendum verbum Dei, unde notitias compararet, quibus Deus se inferere, & ad fidem vocare solet; tum etiam quia, postquam accessit, potuit divertere alio cogitationem, neque intendere iis, quæ credenda proponerentur; tum denique quia potuit accedere vel animo ad discendum, atque amplectendum, id quod verum, bonumque esse, judicare, vel animo irridendi, aut impugnandi, quæ dicerentur. Est enim rationi valde consentaneum, ut illum potius misericorditer vocet, & adjuvet Deus, qui paratus est obedire veritati, illamque amplecti, quam cum, qui sinistra intentione ad audiendum accedit.

„Hæc propositio desumpta est ex CONCORDIA Molinæ, quæst. 14. art. 13. disp. 9. §. *Patet tertio*, & §. *Quod hæc*, ubi illam copiosius docet, quam a nobis fuerit proposita.

Censura.

„Hæc sententia P. Molinæ ita est Cassiani doctrinæ consona, ut S. Prosper lib. contra Collat. cap. 9. dixerit, illam ab Ecclesiâ expugnata fuisse. Quam ipse, a S. Augustino apprimè edoctus, impugnavit tam cap. 8. quam etiam 13. ejusdem lib. Est etiam contra definitionem Concilii Arausi-

„ciani II. can. 4. Quo fit, ut D. Cardinalis Belar. lib. 6. De Gratia, & Libero Arbitrio, cap. 9. §. *Hæc igitur*, dixerit: *Scriptum Calvinus, & Kemnitius, communem Scholasticorum sententiam esse, ante gratiam præcedere in homine quadam bona desideria, quævis debilia. Sed hæc non Scholasticorum, sed Cassiani, & Fausti sententia fuit, quam S. Thomas, & S. Bonaventura, Gregorius Ariminensis, Joannes Caprolus, & alii Doctores Scholastici repudiant, atque resellunt. Cujus oppositum, dicit, non solum ex Scripturis, sed etiam ex Pontificum scriptis, & Conciliorum decretis copiose probari.*

Decima Propositio.

„Potest homo solis viribus naturalibus Liberi Arbitrii, & concursu generali Dei elicere actum absolutum, mere naturalem, dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat, & pari ratione positum absolutum. . . . placendi Deo in omnibus, servandique mandata omnia naturalia, obligantia sub culpa lethali; tamen & hunc, & quemcumque alium actum virtutis moralis, multo facilius, & promptius poterit elicere homo naturæ integræ, quam modo possit homo naturæ corruptæ.

„Ita docet Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. per totam disputationem 14. sed videatur mem. 3. §. *Duo quedam*, & §. *Secundum est*, & disp. 19. mem. 6. §. *Fortè mirabitur* in edit. Antverp. Est autem semper memoria tenendum, quod Molina non semel docuit, Facienti, quod in se est, Deum ex certa lege gratiam conferre.

Censura.

„Hæc fuit sententia Cassiani, quam impugnat S. Prosper lib. contra Collat. cap. 27. & 30. Et lib. De Ingratis significat, relabi in eorum errorem, qui negabant, per peccatum originale fuisse læsum, & vulneratum liberum arbitrium, Pelagianos intelligens. Eandem impugnat S. Augustinus lib. 2. ad Bonif. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 8. & 10. & alibi; quam etiam condemnat Concilium Milevitanum can. 4. Arausanum II. can. 25. & Tridentin. sess. 6. cap. 6. Hinc D. Cardinalis Bellarm. lib. 6. De grat. & lib. arb. cap. 7. impugnat hanc Molinæ propositionem ex Scripturis Divinis, & decretis Conciliorum, & doctrina S. Augustini; probatque, ex illa colligi potissimum errores Pelagii.

De nona, ac decima propositione sententiam rogati Prædicatores, utramque & ex Molina petitam, & iuste damnatam agnovissent; totidemque Congregationi sententia suæ transumpta dedere, quot Judices aderant.

Postmodum, accepta dicendi venia, Molina causam egit Gregorius de Valentia: *Qui silentium manu indicens, gravi quodam sermone aliqua proposuit contumeliose magis, quam Theologicæ. Propositiones nulla Censurâ dignas asseruit, venisse quidem, sed minus erudite. Cuius per horam durasset, inquit Secretarius, hoc unum constitit apud Censores, illius non tam Molinæ, quam tædium Societatis doctrinam a Semipelagianismo excusare voluisse. Sæpe enim, & sæpius dixit: Hæc cum Molina & nos dicimus, nec ille, aut nos Pelagiani, vel Semipelagiani sumus. Ita autem Semipelagianorum dogmata proponebat, ut, cum conaretur Molinæ assertiones ostendere esse ab illis longe diversas, cum illis procul dubio maxime convenire, significaret. Quod cum omnes obseruassent, & alii aliis nisi quodam indicare viderentur; nullus tamen fuit, qui verbo mentem aperiret.*

Va.

Valentiam excepit Petrus Arrubal. Ambas propositiones apud Theologos esse receptissimas, affirmavit; Molinamque a Cassiano remotissimum probaturus, utrumque perinde suscipere, ac venerari visus est.

Instituerunt in oppositum Prædicatores, & intamam Molinæ, & Cassiani consonantiam ostenderunt. Verum cum Molinam Defensorum suorum diverticulis excusatum non iri, dixisset Lemos; inurbane sermonem abruptit Gregorius de Valentia: *Vide, inquit, quid dicas Pater. Nos hic non agimus de excusatione Molinæ, sed de sensu, & sententia propositionum illius, quas vos Pelagianismi nota cum magna injuria inuritis.* Resumpto nihilominus sermone, institutum prosecutus est; eoque demum absolvente, adeo diffuse reposuerunt Patres Societatis (tametsi nonnulli cavillationes serulas, nulliusque ponderis obiecta recedentes) ut Lemos, ad dicendum assurgenti, silentium ob temporis angustias indictum sit: *Quod si non egre tulisse visi sunt,* inquit Coronellus in Actis.

Defensionum suarum transumpta singulis Consultoribus offerre neglexerunt Jesuitæ; quamquam id non ita pridem ipsorum occasione sancitum esset. Rogati sunt a Secretario, ut non præsentem modo, sed & omnes hæcenus elucubratos quantocius afferrent, ne deinceps Consultoribus, quasi examinanda causæ minus intentis, obloquendi animum arripere: ac tandem receptis propositionibus undecima, & duodecima, adjunctis utriusque Censuris, recessere.

In diem primam Martii Congregatio indifera fuerat, ac re ipsa apud D. Cariatensem conveniunt Consultores. Cæterum, absentibus Episcopo Neritonensi, R. P. Plumbino, & Palanterio, in diem octavam prorogata est.

Die 8. Martii 1601. duodecima Congregatio fuit, ubi tertiam Molinæ propositionem, ejusque Defensorum momenta eruditissimi Consultores examinarunt. Re publicis suffragiis in judicium vocata, & expensa, auditaque Clarissimi Bossuianæ expositione, in eam sententiam itum est: *Molinæ propositionem esse Pelagianam, & formaliter assertam a Pelagianis; impugnatam vero, & expugnatam a S. Augustino locis citatis in Censura.*

Dissentere duntaxat Plumbinus, & Bovius, quorum primus, septimo loco dicens pro Molinæ defensione, *Etiam si scriptas haberet rationes, quas paraverat, præ oculis, vis unam proferre potuit, que speciem aliquam haberet probabilitatis,* inquit Secretarius; *Immo tam confusus dixit, toties sibi contradixit, ut vix explicaverit, cui sententia haberet. Cumque inter dicendum, ter, aut quater professus esset, Molinam a Pelagianismo excusatum non iri, si conatus illi, & pia desideria, que ponit, aliquem ordinem, vel respectum haberent ad primam gratiam, vel aliquo modo voluntatem disponentem ad illam recipendam, Coronellus, arrepta occasione, multis ostendit; usque adeo conatus illos, a Molina assertos, ad primam gratiam positive disponere, ut, juxta ipsius principia, quantitas Gratiæ conatus quantitati respondeat.*

Bovii sustinaculum non minus singulari fuit. Ut Molinam ab hæresi vindicaret, duos ordines Gratiæ distinguit: *Quorum alter contineret gratias quasdam, ut agritudines, prædicationes, bona exempla &c. Alter vero Gratia dona secundum entitatem.* Quibus positis, ait, Molinam admittere conatus dispositivos, ante Gratiam, secundum entitatem; supponere tamen gratias alias, educationem videlicet bonam inter viros pios, horum monita, & exhortationes, casus asperos, &c. Quali vero hæc

eadem Semipelagiani non admittunt.

Ut ut est, duobus illis dumtaxat exceptis, in tertia propositionis damnationem conspirarunt. Niverfi, edito sequenti Decreto.

Die Jovis 8. Martii 1601. habita fuit Congregatio apud D. Cariatensem; in qua expensa sunt tam rationes Censuræ, factæ in tertia propositionem Molinæ, quam etiam defensiones Patrum Jesuitarum, Congregationi exhibitæ, ad illam excusandam a Pelagianismo, & Semipelagianismo. Et expensis omnibus ritibusque consideratis, exceptis P. Procuratore S. Augustini, & P. Regente Collegii Carmelitarum, omnes censuerunt, persistendum in Censura facta.

Ita est: F. Propertius Resta, Episcopus Geruntinensis, & Cariatenfis.

Ita est: ego F. Julius Sandruus, Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita est: ego Lælius Landus, Episcopus Neritonensis.

F. Hippolytus, Episcopus Montis-Pelufii confirmo.

Ita est: F. Hieronymus Palanterius, Franciscanus Conventualis.

Ita est: F. Joannes de Rada, Ord. S. Francisci Procurator Generalis.

Ita est: F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita est: F. Jacobus le Bossu, Benedictinus, & Doctor Sorbonicus.

Ita est: Ludovicus de Creil, Doctor Sorbonæ Parisiensis.

Circa tertiam propositionem, non existimo esse de reliquis Pelagii, neque ejus fautorum, cum in ea non sit fermo de conatu, petitione, vel desiderio, prout oportet, nimirum proportionato ad justificationem, sed de imperfecto, & improporcionado, quod nullo modo, & per se disponit ad gratiam prævenientem, ut late ostenditur in nostris particularibus Censuris.

Ego F. Joannes Baptista a Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Ego F. Joannes Antonius Bovius, Carmelita, censeo, tertiam hanc propositionem esse catholicam, & probabilem. Ut enim ostendi in posteriori nostro Scripto, parte prima, illi ipsi conatus sunt effectus prædestinationis, & ex gratia.

Die 12. Martii 1601. apud D. Cariatensem decimam-tertiam Congregationem celebraturi, conveniunt Censores, ac Theologi. Adum de propositionibus undecima, & duodecima, illarumque Censuris, his verbis expressis.

Undecima Propositio.

Negari non potest, complurium esse Scholasticorum sententiam, Liberum nostrum Arbitrium cum solo concursu generali Dei elicere posse non solum actum attritionis naturalis, id est dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter; sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius lethaliter includat.

Ita docet Molina in sua Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 14. mem. 1. in principio, & mem. eodem §. Ratio. Hujus assertionis rationem assignat, qua aperit, quas puter vires Liberi Arbitrii, & quantas esse, Fuisse autem hanc propositionem assertam a Molina, non tantum disputationis gratia, liquet ex tota disp. 14. maxime post additum §. illum *Forse mirabitur*, quem addidit in editione Antverp.

&

& ex disp. 19. & 20. Est autem advertendum, quod mem. 5. adjunctis, & copiosius tradiderat disp. 10. Quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore &c. quibus insuper addendum est quod formaliter docuit disp. 8. Fidelem in peccato constitutum, quod neque fidei, neque spei repugnet, ut ex fide, atque spe in Deum ita doleat (hoc est, ut ad salutem oportet, ad quod illud ita refertur) non indigere alio auxilio particulari, præter concursum habituum fidei, & spei, qui in eo remanserunt. Et disp. 14. mem. 3. magis explicat, quale existimet remansisse Arbitrium nostrum post peccatum.

Censura.

Si que Cassianus docuit, ut refert S. Prosper lib. contra Collat. cap. 8. & 22., cum superioribus conferantur, & que Hilarius in Epist. ad S. Augustinum de erroribus Masilianum scribit, expandantur, apparebit, Molinam ex illis constasse assertionem suam, & ejus rationem: quam non parum accedere ad Pelagianum dogma, significavit S. Prosper lib. De Ingratis cap. 4. & 5. & ad Capitula Galorum respons. 6. Et lib. contra Collat. cap. 8. 22. & 23. ita Cassiani sententiam evertit, ut Molinæ propositionem expugnasse etiam videretur, quam adversari doctrinæ Concilii Trid. haud obscure colligitur ex sess. 14. cap. 4.

Duodecima Propositio.

Interim, dum judicium rationis non absorbetur . . . in arbitrio humano, spectato in statu naturæ lapsæ, sunt vires sine speciali auxilio Dei . . . ad non consentiendum in quocumque temporis momento, cuicumque gravi, vehementiore tentationi, & ad superandam quamcumque magnam difficultatem, quam pro servanda in eo solo instanti lege naturali necesse sit vincere, etiam si ea de causa mors sit toleranda; ita ut, si consentiat, peccet, eo quod, seculo quocumque alio majori auxilio, in postulate ipsius, tametsi non sine ingenti difficultate, positum est, non transgredi tunc legem.

Hanc propositionem esse ex propria sententia Molinæ, constat ex disp. 19. & 20. potissimum post additum §. *Forse mirabitur* supra citatum.

Censura.

Quantum hæc propositio accedat ad Pelagianismum, & Semipelagianismum, facile apparet ex verbis Pelagii, adductis a S. Augustino lib. De Grat. Christi, cap. 27. & 28. & ex Cassiani sententia, relata a S. Prospero lib. contra Collat. cap. 22. & ex his, que Faustus docuit lib. De grat. & lib. arb. cap. 10. quos impugnavit, & expugnavit S. Augustinus loco citato, & S. Prosper cap. 33. & cap. 35.

Prædicatores eas pro more suo ex Molina fideliter petitas, & a Congregatione jure damnatas propugnavit; summeque de illis judicium singulis Censuris scripto dederunt.

Pro undecima propositione dixit Gregorius de Valentia. Hanc a Molina quidem assertam, factus est, sed a Congregatione minus æque confirmatam, asseruit. Ajebat enim, Molinam loqui de actu contritionis mere naturali, qui sit extra totam latitudinem ordinis gratiæ, & insufficiente ad salutem. Item, de actu plane imperfecto, & inefficaci, qui scilicet non habeat annexam observantiam Mandatorum. Tertio, in absentia obsectorum, atque occasionum peccandi. Quarto, de homine jam fideli. Denique, tot adhibitis moderationibus, seu limitationibus, non aliter

Molinam censuisse, defendi posse hanc Theologorum sententiam, nisi tanquam probabilem. Addidit, illum nequidem Semipelagianismi damnandum fuisse, tametsi sententiam illam, tot circumscriptioibus temperatam, uti certam propugnasset, que ex Concilio Tridentino, plurimisque Theologis creberetur.

Cæterum Congregationem auctacter falsi postulavit, quod hanc propositionem falso Molinæ asseruisse: *Fidelis, in peccato constitutus, quod neque fidei neque spei repugnet, ut ex fide, atque spe in Deum ita doleat (hoc est, ut ad salutem oportet, ad quod illud ita refertur) non indigere alio auxilio particulari, præter concursum habituum fidei, & spei, qui in eo remanserunt.* Verum, producto Molinæ contextu disp. 8. Congregationis fidem asseruisse Secretarius; nihilque proflus Molinæ asseritum, ostendit. Siluit ad hæc Gregorius de Valentia: cumque illusterrimos Episcopos commoveri cerneret, deposita audacia, nudatoque capite, inquit: *precor vos, Rev. Domini, ignoscite mihi, si quod verbum aliquando elapsum sit, quod videtur offensivum. Non enim id ex animo, sed celeritate dicendi; & in significatione honesta, & latine illud sumi, cupimus.*

Dixit subinde Thomas de Lemos, ut Valentia momenta confutaret, doctrinæque Molinianæ virus, femota larva, detegeret. Atque interim fecum Jesuitæ mustitantes, molinæ sensum plus factis in aperto positum significabant; quia & Arrubal, coniectis in Secretarium oculis, vultu, ac gestu anpuebat.

Reposuerunt nihilominus secundo; tum ut ex Theologorum testimoniis vincerent, hominem justum ad eliciendos actus fidei, & spei non indigere alio auxilio speciali, præter habituum concursivum: tum ut undecimam Molinæ propositionem, supra laudatis limitationibus temperatam, a Semipelagianismo vindicarent.

Ad duodecimam propositionem tandem venit Petrus Arrubal, quam a Molina non absolute quidem admittam, sed ut probabilem duntaxat judicatum observavit. Hanc porro, nonnullis expositionibus cohonestatam, a Semipelagianismo vindicare conatus est.

Vindictis ejus satisfecerunt Didacus Alvarez, & Thomas de Lemos; qui adhibita utriusque propositioni temperantia, partim contra Molinæ sensum afficta, partim ad eluendam hæresin notam insufficientia, demonstrarunt.

Scripta sua Notario dedere Patres Societatis, sive in afferendis pro numero Consultorum exemplaribus negligentia veniam rogantes. Congregationi quoque supplicarunt, ne sua de Molinæ propositionibus judicia ferrent, donec de singulis ipsi dixissent. Responsum illis est: Mirum sane videri, quod qui vindictas suas non satis a consultoribus expendi conquirebantur, easdem ipsis offerre negligerent: Congregationem nihil præcipitanter, & immature facturum esse; tantoque consilio causam istam hæcenus pertractasse, nihil ut amplius ab illa desiderari posse videretur.

Demum, instante nocte, & ad quatuor horas protracta Congregatione, propositiones decimam-tertiam & decimam-quartam ipsis perinde, ac Prædicatores dedit Secretarius, una cum utriusque Censuris: ut parandis responsionibus inacumberent.

Die 15. Martii 1601. ad quartam propositionem, ejusque defensionum examen conveniunt Domini Consultores in Episcopi Cariatenfis Palatio. Absuit D. Crellius, qui servato subscribendi jure, excusatum se voluit.

Societatis vindictas, ad quatuor capita redactas, exposuit D. le Bossu, eisque cumulate satisfecit. Quoniam vero Molinæ sensum in hacce quar-

quarta propositione minus fideliter expressum fuisse, defensores ejus obtulerunt; eam quoque facti quaestionem pariter eliquavit, sensumque Auctoris summa fide relatum, collatis locis ostendit.

Post maturum examen, quo singuli prolixo sermone suum de præfata propositione iudicium exposuere, omnes, duobus duntaxat exceptis, damnationi consentire. Decretum sub hac forma editum est.

Die Jovis 15. Martii 1601. habita fuit Congregatio apud D. Cariatensem, in qua primum examinatae sunt rationes Patrum Jesuitarum ad quartam propositionem: quibus diligenter expensis, & mature consideratis, exceptis RR. PP. Procuratore Ordinis S. Augustini, & Rege Collegii Carmelitarum, ceteri omnes censuerunt, persistendum in Censura, facta in quartam propositionem, & ita subscriperunt.

Ita est: F. Propertius Resta, Episcopus Geruntinensis, & Cariatenfis.

Ita est: ego F. Julius, Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita est: ego Lælius Landus, Episcopus Neptonensis.

D. Hippolytus, Episcopus Montis-Pelusi confirmo.

Ita est: F. Hieronymus Palanterius, Franciscanus.

Ita est: ego F. Joannes de Rada, Ord. S. Francisci Procurator Generalis.

Ita est: F. Gregorius Nunnus Coronel, Secretarius.

Ita est: F. Jacobus le Boffu, Benedictinus, Doctor Sorbonicus.

Ita est: Ludovicus de Creil, Sorbonæ Parisiensis Doctor.

Propositio hæc quarta, cum non dicat, naturam naturalem esse aliquomodo causam, propter quam Deus præstet auxilia Gratia; sed id potius aperte neget; non video, quod sit Semipelagianum. Ego F. Joannes Baptista a Plumbino, Ord. Eremitarum-S. Augustini Procurator Generalis.

Ego F. Joannes Antonius Bovius quartam hæc propositionem, sicut superiores, nulla censura dignam censeo.

CAPUT XVIII.

Quid a decima-quinta quarti hujus examinis Congregatione ad decimam-nonam tractatum, ac definitum.

Die 19. Martii 1601. Congregatio decima-quinta apud D. Cariatensem habita est: cui cum meritisissimis Consultoribus amorum Ordinum Theologi interfuerunt. Arrabalis loco venit Christophorus Cobos.

Actum de decima-tertia, & decima-quarta Molinae propositionibus, earumque Censuris. Sic illæ habebant.

Decima-tertia Propositio.

Nulli adulto Deus denegat auxilium, quod ad perseverandum sit factis. Præterea cum auxilio, quocum unus usque in finem vitæ perseverat, potest, si velit, non perseverare. Et cum auxilio, quod Deus confert, præstare est conferre ei, qui non perseverat, potest perseverare, per eumque stat, quod non perseveret. Quo fit, ut ad donum perseverantiæ duo sint necessaria: unum ex parte Dei, videlicet, ut ea auxilia conferre statuerit, cum quibus prævidebat, adultum pro sua libertate perseveraturum; al-

terum ex parte arbitrii adulti, tanquam conditio, sine qua voluntas conferendi talia auxilia non habuisset rationem voluntatis conferendi donum perseverantiæ; nempe, ut adultus pro sua libertate ita sit cooperaturus cum eis, ut perseveret: quod in potestate ipsius est collocatum. Quare non ita intelligendum est, donum perseverantiæ esse a Deo, quasi per illud potestatem auferat ad non perseverandum, aut quasi per Deum stet, quo minus is perseveret, qui in peccatum labitur.

Ita habet Molina in sua CONCORDIA, quaest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ult. §. *Sesundum est.*

Censura.

Hæc, quæ dicitur a Molina legitima, seu potius orthodoxa de modo doni perseverantiæ explicatio, non videtur aliena ab illa, quam Massilienses asserunt contra S. August. doctrinam, ut videtur licet apud S. Hilarium in Epistola ad Augustinum, qui illam impugnavit, & expugnavit toto lib. De dono perseverantiæ, sed potissimum cap. 6. 7. 8. & 9. Et superaddendo aliis, Molina adversatur doctrina Concilii Trident. sess. 6. cap. 13. & ejusdem definitio can. 22.

Decima-quarta Propositio.

Triplicem scientiam oportet distinguamus in Deo, nisi periculose, in concilianda libertate arbitrii nostri, & contingentia rerum cum divina præscientia, hallucinari velimus &c. Unam mere naturalem; alteram mere liberam &c. tertiam, denique Mediam Scientiam, quæ ex altissima, & inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii, in sua essentia intuitus est, quid pro sua innata libertate, si in hoc, vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset; cum tamen posset, si vellet, facere re ipsa oppositum, ut ex didis disp. 47. & 48. manifestum est.

Ita docet Molina in CONCORDIA, qu. 14. art. 13. disp. 50. §. *Triplicem*, in impressione Antverp. disp. 52. in Veneta in Comment. ad Primam Partem, eadem quaest. & art. disp. 17. Videre etiam oportet longissimam illam disputationem, quam addit post primam editionem in Antverp. & disp. 53. in Comment. 18.

Censura.

Hæc propositio, & doctrina de Scientia-Media, & ejus necessitate videtur eadem cum illa, quam Massilienses excogitarunt ad exterminandam Gratiam effectricem bonæ voluntatis, & ad tribuendum Libero Arbitrio, quod Gratia subtraheret, ne illud læderent; & ad assignandam causam infallibilitatis effectus, ut videtur est in Epist. S. Properi, & Hilarii ad S. August. Quod Molinam similiter ob eandem rationem evincere contendisse, facile apparet in sua CONCORDIA, qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 9. §. *Secunda Constitutio* in impress. Antverp. mem. 12. in Comment. ad Primam Partem mem. 11., ubi ita fatetur, adultum, prædestinatum, certo, hoc est, absque ulla Dei deceptione, vitam æternam consecuturum, ut tamen certitudo non sit ex parte mediatorum, effectusque prædestinationis, sed ex parte divinæ præscientiæ, quæ Deus altitudine &c. Unde facile ostendit Concordiam Liberi Arbitrii cum præscientiæ, & Prædestinatione. Cum autem in

materia Prædestinationis, & Gratia S. Augustinus semper explosit omnem præscientiæ rationem, quæ antecedit decretum divinæ voluntatis, potissimum vero lib. De Prædestinatione Sanctorum, cap. 9. 18. & 19. & alibi, expugnata sane videtur ab eodem S. Augustino hæc de Scientia-Media doctrina cum Massiliensium errore.

De iis paulo fufius dixit Didacus Alvares. Priorem a Molina, locis in Censura laudatis, aliisque bene multis assertam demonstravit, ut speciale perseverantiæ donum funditus everteret: tum eam digna censura notatam ostendit. Posteriorem non modo ex Molina fideliter petitam, sed & totius ipsius CONCORDIAE, basim appellavit. De qua cum tor hæctenus in Hispania, ac Romæ lucubrations a Prædicatoribus editæ fuissent; non erat, cur plura blungeret. Quapropter Congregationis Censuræ subscribens, ab aliis proferendis abstinuit.

De decima-tertia Molinae propositione longe aliter sensit Gregorius de Valentia: quippe qui eam in octo partes distribuit, quas, uti totidem fidei dogmata, propugnavit.

Dixit autem per duas horas, inquit Secretarius, cum inordinato corporis metu, nunc stando, nunc sedendo, jam manus complicando, jam utraque palma mensam, immo etiam pedes percutiendo, quantum vix credi poterit. Ac tandem siluit, quin ad scopum Molinae, sensumque prædictæ propositionis probandum accederet. Adversus Congregationem acriter declamavit, quod priora propositionis verba perturbate retulisset: cum enim juxta Molinae textum legendum foret, *Cum auxilio, cum quo unus usque in finem vitæ perseverat, potest, si velit, non perseverare; ita referrebat: Cum auxilio, cum quo unus usque in finem perseverare potest, si velit, non perseverabit.*

Pro decima-quarta propositione pugnavit Christophorus Cobos. Hanc Academicarum, & Theologorum Societatis auctoritate confirmavit; ac subinde, difficultatem subversivam, se consulit ad explicandos errores Massiliensium; ita tamen, ut de re controversa ne verbum quidem diceret.

Auditis Molinae Defensoribus, stetit Congregationis Secretarius, vitioque Amanuensis accidisse monuit, ut priora decimæ tertie propositionis verba perturbata fuissent. Subjunxit, tanto audacior videri Valentia declamationem, quanto certius esset, ex ea etiam verborum perturbatione Molinae sensum nullatenus excidisse. Illum enim de potestate consequenti, ipsique actui conjuncta locutum fuisse, manifestum est; cum præsertim alibi conceptissimis verbis asseret: (1) *Cum auxilio ex parte Dei, cum quibus unus justificatur, & salvatur, alius pro sua libertate nec justificatur, nec salvatur: & e converso.*

Non acquievit Gregorius de Valentia, sed interpolationem, Congregationis vitio factam, contestatus est. Audaciam ultra ferre non potuit Congregationis Præles. Pater, inquit, non decet, sanctam istam Congregationem toties iniquitatis, & injustitiæ accusare: quod tu cum sæpius feceris, oportet, ut verba temperes, & respondeas ad propositionem sine verbis contumeliosam. Respondit ille, id sibi ex studio vindicandi Molinam excidisse, seque tamen singulos Congregationis Consultores impense venerari.

Sedato ergo tumultu, dixit Didacus Alvares; qui, controversia ad legitimum statum revocata, Valentia suffragia occupavit, ostenditque efficacibus argumentis, Molinam a vera, & orthodoxa doctrina de efficacia Gratia, & dono perseveran-

Serry Tom. I.

(1) In Conc. g. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. §. Postremo.

tia quam longissime aberrasse; eamque prorsus perseverantiæ rationem docuisse, quam Semipelagianus de Pelagianæ hæresis fonte traxerant.

Alvaresum excepit Thomas de Lemos. Utrumque Molinae Defensorem acriter exagitavit, versutias illorum detexit; productisque libris, mutilata SS. Augustini, Properi, & Hilarii testimonia restituit: *Alco ut*, inquit publicus Actuarius, omnes facile conspicerent, Prædicatores de Jesuitis triumphum reportasse.

Dum suas viciandas Patrum testimoniis alturias detegi cerneret Christophorus Cobos, ridebat ritu Sardónico. Singula etiam in tabellas referebat Gregorius de Valentia, quo facilius ea subinde confutaret. Verum res illi aliter cessit: *Dicitur enim ad objecta, nihil penitus, quod ad rem spectaret, in medium adduxit, verbosè magis, quam Theologice agendo.* Verba sunt Secretarii.

Rogavit sub finem Congregationis Gregorius de Valentia, ut quæ hinc inde asserbantur, more scholastico proponerentur. Respondit Secretarius, quascumque disputationes a Summo Pontifice veritas esse. Eo autem idem importunus efflagitante, clamavit Lemos: *Concedantur a Reverendissimis DD. disputationes; & disputemus per duas annos, quia ego non refugio illas.* Nihil tamen pro voto concessum est; sed datis propositionibus decima-quinta, & decima-sexta, utriusque dimissi sunt.

Die 22. Martii 1601. conventum decimum sextum, ad quinta propositionis, ejusque defensionem examen, celebrarunt DD. Consultores. Absuit Palanterius, qui, servato subscriptionis jure, absentia suæ rationes litteris exposuit.

Molinae Defensorum responsiones, in quatuor capita distributas, exposuit D. Boffutius, nihilque omnium prætermisit, quæ in rei gratiam adduci posse viderentur. Maturo consilio, collatisque suffragiis, causa agitata est: ac tandem universi, Plumbino, & Bovio duntaxat exceptis, in pristina Censuræ confirmationem conspirarunt.

Admiracionem non minimam concitavit Plumbini suffragium; qui ut Molinam a Semipelagianismo vindicaret, Semipelagianum errorem, uti Concilii Tridentini dogma, vindicavit: *Gratia datur secundum uniuscujusque naturalem dispositionem propriam.* Verum caspationis & ofuscationis monitus, id a se dictum, pernegavit; nec sine stomacho, & excitato tumultu: eoque confugit, ut Molinam de dispositione, & præparatione per gratiam extrinsecam locutum, propugnaret.

Effugium hoc suffragio suo confutavit Coronellus, qui cum rationes, in Molinae defensionem adductas, Viro Theologo indignas appellasset; eo se dictorio petitos, Plumbinus, & Bovius putare; tantisque tumultus concitarent, ut vix Præfidentis auctoritate sedari poterint.

De sexta propositione, post auditas Societatis vindicias, a D. Boffutio expositas, agi coepit. Verum, suborta difficultate circa Molinae sensum, quam, instante nocte, eliquare non licuit, in alteram Congregationem dilata definitio est. Interim quinta propositionis Censura sequenti Decreto confirmata est.

Die 22. Martii 1601. habita fuit Congregatio apud D. Cariatensem, in qua interfuerunt omnes Censores, excepto R. P. M. Palanterio, qui a Summo Domino vocatus misit excusationem, & promisit, se subscripturum, prout jam statuerat, examinatis a se diligenter tam propositionibus, quam defensionibus Patrum Jesuitarum. Igitur, expensis propositione quinta

R

Mo-

„ Molinæ, & ejus Censura, necnon responsio-
 „ bus Patrum Jesuitarum ad Censuram præfatæ
 „ propositionis, omnes (exceptis RR. PP. Pro-
 „ curatore S. Augustini, & Regente Collegii
 „ Carmelitarum) censuerunt, persistendum in
 „ Censura.

„ Ita est : F. Propertius Resta, Episcopus
 „ Geruntinensis, & Cariatenfis.

„ Ita est : F. Julius Sanctius, Episcopus S.
 „ Agathæ Gothorum.

„ Ita est : F. Joannes de Rada, Procurator
 „ Ord. S. Francisci.

„ Ita est : Lælius Landus, Episcopus Nerito-
 „ nensis.

„ F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelufii confir-
 „ mo.

„ Ita est : F. Hieronymus Palanterius, Fran-
 „ ciscanus Conventualis.

„ Ita est : F. Gregorius Nunnus Coronel,
 „ Secretarius.

„ Ita est : F. Jacobus le Bossu, Benedicinus,
 „ Doctor Sorbonicus in Facultate Parisiensi.

„ Ita est : Ludovicus de Creil, Doctor Sor-
 „ bonæ Parisiensis.

„ Hæc quinta propositio, cum non asserat,
 „ immo sapissime neget, Deum opulari, aut
 „ præsto esse conantibus naturaliter; hoc ipsum
 „ non præstari propter ejusmodi conatus, aut de-
 „ siderii naturalis intuitu; Judico, quod non sit
 „ Semipelagiana. Ego F. Joannes Baptistæ de
 „ Plumbino, Ord. Eremitarum S. Augustini Pro-
 „ curator Generalis.

„ Ego F. Antonius Bovius Carmelita cenfeo
 „ quintam hanc propositionem in fide tutam, &
 „ in schola probabilem.

„ Die 26. Martii 1601. apud D. Cariatensem
 „ Consultores una cum amborum Ordinum Theolo-
 „ gis convenere, de propositionibus decima-quinta,
 „ & decima-sexta Congregationem habituri.

Decima-quinta Propositio.

„ Non video, præter auxilium particulare gra-
 „ tiæ prævenientis, & concursus Dei genera-
 „ lem necessarium esse auxilium aliud particulare
 „ gratiæ, ut liberum arbitrium aliquem illorum
 „ actuum possit elicere : (credendi scilicet, spe-
 „ randi, & ponendi, ut oportet) etenim illa
 „ tria unam integram, & sufficientem causam il-
 „ lorum complere videntur, ut disp. præcedenti
 „ satis a nobis explicatum est. Quare, esto Deus
 „ quodcumque aliud particulare auxilium denega-
 „ ret, ex illis solis sequeretur effectus. Neque
 „ Concilium Tridentinum &c. Ita docet Molina
 „ quæst. 14. art. 13. disp. 37. §. Verum.

Censura.

„ Molina cum præter gratiam prævenientem, si-
 „ ve excitantem non requirit aliam potentiorum
 „ gratiam ad eliciendos actus supernaturales fidei,
 „ spei, & penitentiae, non videtur discedere a
 „ sententia Pelagii; quem eandem gratiam, quam
 „ Molina ponit, concessisse, facile possumus col-
 „ ligere ex lib. S. August. De Gratia Christi,
 „ potissimum vero cap. 7. & 10. & 14. & sæpe
 „ alias : maxime cum Molina disp. 42. §. Quo-
 „ ad primum respectu actuum deliberatorum gra-
 „ tiam prævenientem solam constituit, ad eve-
 „ hendos ad ordinem supernaturalem actus volun-
 „ tatis, & intellectus, elicitos ex facultate na-
 „ turæ.

Decima-sexta Propositio.

„ Falsum omnino videtur, & discrepans a di-
 „ ctis Patrum, & Concilio Tridentino locis ci-
 „ tatis, asserere, gratiam coadjuvantem distin-
 „ ctam esse a gratia prævenienti, & excitante.
 „ Illa enim eadem gratia, quæ liberum arbitrium
 „ prævenit, & excitat ad actus, quibus se ad ju-

„ stificationem disponit, dicitur cooperans, si li-
 „ berum arbitrium cum ea consentiat, atque si-
 „ mul pro sua libertate influat.

„ Ita docet Molina in sua Concordia, quæst.
 „ 14. art. 13. disp. 39. §. Deinde & disp. 40.

„ §. Ex dictis. Ex dictis, inquit, intelligitur sa-
 „ cile, unam, & eandem numero gratiam, quatenus
 „ excitat, allicit, & invitat arbitrium nostrum
 „ ad actus credendi, sperandi, diligendi, aut pre-
 „ nitendi, appellari prævenientem, ac excitantem
 „ gratiam; eaque consideratione prævenire arbitrium
 „ nostrum ad ejusmodi actus : quatenus vero con-
 „ sentiente jam nostro arbitrio, & cooperante, actus,
 „ ad quos illa invitat, & allicit, ipsa quoque no-
 „ vo influxu, & actione cooperatur eisdem actus,
 „ appellari adjuvantem, & cooperantem gratiam.

Censura.

„ Dum Molina docet, in eo gratiam adjuvan-
 „ tem consistere, quod, consentiente jam nostro
 „ arbitrio, & cooperante actus, ad quos illud
 „ invitaverat, quatenus præveniens, & excitans
 „ erat, ipsa quoque novo influxu cooperatur eisdem
 „ actus; satis ostendit, se non prævialem,
 „ sed comitem tantum concedere gratiam adju-
 „ vantem. In quo non parum obscure conatur
 „ illam Christi Gratiam, de qua S. August. dif-
 „ putat, quam nobis Divina Scriptura commen-
 „ dat, & quam Apostolus prædicat operari in
 „ nobis & velle, & perficere : maxime vero cum
 „ disp. 37. §. Quod si quis, asserat, se non pu-
 „ tare, concursum illum, quantum ex se, esse
 „ alterius rationis ab eo, quo Deus concurrat ad
 „ effectus mere naturales; neque ab illo habere
 „ actus illos, quod sint supernaturales, sicut ne-
 „ que id habent ab influxu liberi arbitrii. Quo
 „ fit, ut hæc Molina propositio cum Massilien-
 „ sium errore coincidat, de quibus S. Prosper
 „ scribit ad S. August. Nec confideram, se Gra-
 „ tiam Dei, quam comitem, non prævialem humanor-
 „ rum volunt esse meritum, etiam illis voluntati-
 „ bus subdere, quas ab ea secundum suam phanta-
 „ siam non negant esse prævenias. Eandem senten-
 „ tiam Joannes Maxentius in respons. ad Epist.
 „ Hormisdæ Papæ inter errores Fausti connume-
 „ rat. Quod idem Faustus docet lib. 1. De lib.
 „ arb. cap. 5. & 7. Quem errorem illos de fon-
 „ te Pelagianæ hæresis hausisse, colligi potest ex
 „ lib. 1. S. August. contra duas Epistolas Pela-
 „ gian. cap. 18. & 19. & ex lib. 2. cap. 10.

„ Quam nuper sacro Confessui fraudis accusatio-
 „ nem objecerat Gregorius de Valentia eo decima-
 „ tertie propositionis interpolationem, productis
 „ aliis Codicibus manuscriptis, dissipavit Coronel-
 „ lus. Ubique enim Molinæ verba summa fide, ac
 „ religione proferebantur; adeo ut uni Amanuensi,
 „ qui datum Jesuitis Codicem descriperat, levior
 „ aberratio adscribi posset. Maluit tamen ille sen-
 „ sium testimonio negare fidem, quam objectam
 „ Congregationi fraudis suspicionem deponere. Im-
 „ mo & petulantiam addidit pertinaciam, quam dissi-
 „ mulare necesse fuit, ne quid pejus accideret.

„ His itaque transactis, ad decimam-quintam, &
 „ decimam-sextam propositionem respondit Didacus
 „ Alvares, quas ex Molina fideliter excerptas, &
 „ vere Semipelagianas ostendit. Suum de illis judi-
 „ cium scripro reliquit, propria, ac Lemofii sub-
 „ scriptione munitum; totque illius transumpta de-
 „ dit, quot singulis Consultoribus, ac Jesuitis abun-
 „ de sufficerent.

„ Dixit deinde Gregorius de Valentia. Rogavit
 „ in primis, ut quo jure Molinam invidiosum Pela-
 „ gianum nomine ceteri traducebant, ita sibi adver-
 „ sarios ejus errantes in fide appellare liceret : cum
 „ eam præsertim de Gratia efficaci doctrinam tue-
 „ rentur, quam a Calvinistarum hæresi nihilo dif-
 „ cre-

crepantem existimaret. Tum, non expectato res-
 „ ponsu, inquit, decimam-quintam propositionem a
 „ Molina quidem defendi, sed omni eandem cen-
 „ sura vacare.

„ Subjuxit, peculiare illud auxilium, a Molina
 „ passim impugnatum, quod in prævia, ac per se
 „ efficaci motione situm volunt Prædicatores, a
 „ Calvinistarum hæresi minime differre; gratiam
 „ sufficientem cum efficaci promiscue confundere;
 „ libertatem in homine, meritum in iusto, in pec-
 „ catore demeritum penitus extinguere; iis demum
 „ ininiti principiis, quibus Deus malorum auctor
 „ longe verius, quam diabolus, dici queat.

„ Ad tres circiter horas sermonem protraxit Con-
 „ trarius magis, quam Theologicus, inquit Secreta-
 „ rius; ac tandem nimis in dicendo prolixitatis,
 „ suæque in parandis ad propositionem alteram res-
 „ ponsionibus negligentia rogavit veniam. Congre-
 „ gationi etiam supplicavit, ut alternis duntaxat
 „ hebdomadibus congressus cum Prædicatoribus ha-
 „ berentur; nullusque in eis adversæ partis argu-
 „ mentis ex tempore responderet; aut saltem id
 „ scholastica disputatione conficeretur. Responsum
 „ fuit, Congregationem iis de rebus altera die deli-
 „ beraturam; disputationes tamen, inconsulto Sum-
 „ mo Pontifice, concedi non posse.

„ Interfuerunt Prædicatores, ne prolixiores indu-
 „ cia concederentur, quod illas nonnisi declinan-
 „ di iudicii animo Jesuitæ postularent, maximum-
 „ que ex Apostolica definitionis procrastinatione
 „ damnum Ecclesiæ Catholice immineret. Tum ad
 „ confutandas Valentia responsiones converso sermo-
 „ ne, Molinam a Pelagio, & Semipelagianis nihilo
 „ differre, demonstravit.

„ Contextum sibi nodum disrumpere maluit Chri-
 „ stophorus Cobos, quam dissolvere. Quapropter
 „ causatus temporis angustias in alteram Congrega-
 „ tionem distulit responsum.

„ Audacior Valentia descendit in arenam, sed
 „ conatu plane irrito : Ad objecta enim responsurus,
 „ inquit Coronellus, multa congestit, multa repetita
 „ sermone produxit : & dum vellet Molinæ senten-
 „ tiam de præparatione, & conatu ad gratiam præ-
 „ venientem ab errore excusare, & illam ad Concilii
 „ Tridentini doctrinam adaptare; tam lubrico versatus
 „ est in utriusque explanatione, ut non videretur magis
 „ catholice, quam Molina locutus.

„ Nullæ hæc in Congregatione pro futuri con-
 „ gressus argumento propositiones datæ fuere; quia
 „ decima-sextæ propositionis examen, supplicantibus
 „ Jesuitis, in diem alteram dilatum est. Valentia
 „ duntaxat exprobravit Secretarius, quod cum Molinæ
 „ vindicias non satis pro rei dignitate a Censu-
 „ ribus expendi quereretur, eas tamen scripto dare
 „ continuo negligeret.

„ Die 29. Martii 1601. ad Congregationem decimam
 „ octavam Consultores convenere apud D. Cariatensem.

„ Relatum in primis fuit de Valentia supplicatio-
 „ ne : Ad indulgentiam inolarunt universi, quan-
 „ tum, salvo jure, licuit. Novæ tamen induciæ ne-
 „ gatæ sunt; tum quod Societati jam satis hæc in
 „ parte gratificati fuissent, tum geminis congressus,
 „ qualibet hebdomada fieri solitos, ad unicum rede-
 „ gerunt; tum quod ex multis, & evidentibus argu-
 „ mentis constaret, prædictos Patres, subterfugientes
 „ iudicium, quæreret dilaciones. Res infra subiecto De-
 „ creto sancita est.

„ His ita constitutis, de sexta propositione tra-
 „ ctatum fuit, de qua cum jam Episcopi superiori
 „ Congregatione dixissent, totus dicendi locus cæte-
 „ ris Consultoribus datus est.

„ De ea perinde, ac de quinta iudicium tulit Pa-
 „ lantierius, ut superioris absentia damnum refarci-
 „ ret. Utramque Semipelagianam iudicavit.

Serry Tom. I.

Tres hujus propositionis partes distinguit Joannes
 „ de Rada : Primam, Auxilium supernaturale non esse
 „ simpliciter necessarium, ut Liberum Arbitrium as-
 „ sentiatu actu mere naturali vis, quæ fides docet ;
 „ Secundam, Auxilium supernaturale conferre, ut as-
 „ sensus eliciatur, sicut oportet ; Tertiam, Auxilium
 „ supernaturale quam sæpissime conferre, ut assensum
 „ simpliciter eliciatur. Primam partem, in ordine
 „ ad septimam propositionem, censuit Semipelagianam;
 „ alias vero censura vacare.

„ Ceteri omnes (exceptis Plumbino, & Bovio,
 „ qui Molinæ adfaverunt) tres illas hujusce propo-
 „ sitionis partes, tum inter se se, tum ad auctoris
 „ loca, ex quibus petita sunt, contulerunt, censue-
 „ runtque, Molinæ institutum illud ipsum esse,
 „ quod in superiori Congregatione exposuerat Cor-
 „ onellus, Quod quemadmodum constituerat duos or-
 „ dines vocandorum, respectu gratiæ prævenientis, in
 „ ordine ad actus voluntatis, quorum aliqui Gratia
 „ Divina præveniunt, ceteri proprio conatu, & vo-
 „ luntatis affectu Gratiam præveniunt; ita etiam in
 „ ordine ad actus intellectus, credendi scilicet ex vi
 „ nature, duos ordines constituebat; ita ut communi-
 „ ter omnes ex viribus naturalibus credere possint my-
 „ steria revelata, tanquam a Deo revelata; quibus
 „ infallibiliter datur Gratia, ut eundem assensum eli-
 „ ciant, prout oportet; aliqui tamen præveniunt a
 „ Deo gratia præveniente etiam ad elicendum assensum
 „ fidei naturalem. Quare propositionem absolute Pe-
 „ lagianam pronunciarunt, hoc pacto.

„ Die Jovis 29. Martii 1601. habita fuit Con-
 „ gregatio apud D. Cariatensem : interfuerunt
 „ omnes Consultores. In hac Congregatione pri-
 „ mum propositum fuit nomine Patrum Jesuita-
 „ rum, ut prorogaretur tempus ad respondendum
 „ singulis propositionibus sibi datis, quod spa-
 „ tium unius hebdomadæ non sit satis ad expen-
 „ dendam rei difficultatem : secundum, ut re-
 „ plite vel omnino omittantur, vel fiant mo-
 „ re scholæ.

„ Decretum fuit, ut non prorogaretur tempus,
 „ sed singulis hebdomadibus utrique Patres respon-
 „ deant ad binas propositiones, prout factum est
 „ a principio. Præterea, ut, ad evitandas animi
 „ contentiones, omnino omittentur replica;
 „ sed scriptura alterutri parti communicaretur;
 „ & qui vellet aliquid amplius addere, scripto
 „ faceret, quod tenerentur omnibus D. D. Con-
 „ sultoribus communicare. Et in hoc una omnium
 „ fuit sententia.

„ His peractis, lecta fuit denuo sexta propo-
 „ sitio una cum Censura; & post maturam con-
 „ sultationem propositionis, & rationum, quas
 „ protulerunt Defensores Molinæ, omnes censue-
 „ runt, persistendum in Censura, excepto R. P.
 „ Rada, qui primam partem propositionis dixit
 „ eadem Censura dignam, qua dixit, notandam
 „ secundam propositionem : quatenus scilicet Mo-
 „ lina sensit, posse hominem assentiri revelatis a
 „ Deo actu naturali ex viribus nature. Quoad
 „ cætera, quæ continent præfatam propositio sextam,
 „ censuit nulla censura dignam. RR. Patres Pro-
 „ curator Ord. S. Augustini, & Regens Collegii
 „ Carmelitarum dixerunt, Molina propositionem
 „ non esse dignam censura. R. P. M. Palantierius
 „ dixit etiam de quinta propositione, & cen-
 „ suit, persistendum in Censura, facta in illam a
 „ Congregatione.

„ Ita est : F. Propertius Resta Episcopus Ge-
 „ runtinensis, & Cariatenfis.

„ Ita est : F. Julius Sanctius, Episcopus S.
 „ Agathæ Gothorum.

„ Ita est : Lælius Landus, Episcopus Nerito-
 „ nensis.

„ Hippolytus, Episcopus Montis-Pelufii confirmo.

- „ Ita est : F. Hieronymus Palanterius, Franciscanus Conventualis.
 „ F. Joannes de Rada, Ord. S. Francisci Procurator Generalis.
 „ Ego F. Joannes Baptista de Plumbino, Ord. Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis censeo, ut supra.
 „ Ita est : F. Gregorius Nunnus Coronel, Secretarius.
 „ Ita est : F. Joannes Antonius Bovius, Carmelita.
 „ Ita est : F. Jacobus le Bostu, Benedictinus, & Doctor Theologiae Parisiensis.
 „ Ita est : ego Ludovicus de Creil, Sorbonæ Parisiensis Doctor.

CAPUT XIX.

Quid a decima-nona quarti hujus examinis Congregatione ad vigesimam-tertiam tractatum, ac definitum.

Die 2. Aprilis 1601. Consultores omnes cum Prædicatoribus, ac Jesuitis ad Congregationem decimam-nonam convenere apud D. Cariatensem. Decretum, ad Patrum Societatis postulatam nudius tertius editum, utrique parti significavit Illustrissimus Præses. Tum Jesuitis præcepit, ut suam de propositione decima-sexta mentem aperirent. Vindicias suas de scripto recitarunt, quibus propositionem hanc ex Molina fideliter petitam confessi sunt, sed censura minime dignam pronuntiarunt. Quo exitu causam egerint, narrat Secretarius : Dum autem, inquit, Molina sensum, & doctrinam de gratia adjuvante explicaret Christophorus Cobos, tam multa involvit, & proposuit, asseri a Molina, ut incautos facile potuisset decipere, eisque persuadere, tam ipsas, quam Molinam catholice locutas fuisse de gratia adjuvante. Verum cum nec Molina, neque Defensores sanam doctrinam tenere viderentur, etiam in illis adumbratis imaginibus constantes non perseverabant. Nunc enim asserunt, gratiam adjuvantem esse omnino præviam, & physice præoperantem, ac propterea antecedentem consensum nostrum. Mox, quasi sui oblitus, hoc ipsum interpretabantur de gratia preveniente, sive excitante ad actus indeliberatos. Hoc dum rursus corroborare molerentur, sententias quasdam ex diversis aliis disputationibus Molina proferebant, quæ vel ad rem præsentem nihil faciebant, vel contrarium omnino ejus, quod probare intendebant, significare videbantur : Adeo certe, ut sæpius cogerentur novum alium Molinam loquentem inducere; & neque adhuc sub nova forma veterem Molinam ab errore vindicare poterant, etiam quam multis fictis, & vane, atque inabitabiliter excogitatis distinctionibus. Quibus adhibitis, & ad Molinam sententiam adaptatis, procul dubio doctrinam de gratia adjuvante, prout a Molina traditam & intellectam, dicebant, ebriam quamdam existimantes.

Christophorum Cobos, diuturniori recitatione defatigatum, suscepto Codice, levavit Gregorius de Valentia; qui, ut dictis robur conciliaret, inordinatos pro more suo corporis motus addebat.

Defensionum suarum exemplaria Notario dederunt; a quo tam ipsi, quam Prædicatorum, propositiones decimam-septimam, & decimam-octavam acceperunt, ut suas in alteram Congregationem responsiones pararent.

Die 5. Aprilis 1601. vigesima Congregatio ab universis Consultoribus apud D. Cariatensem celebrata est. Septimam Molinæ propositionem in judicium vocarunt. Audita doctissimi Bostutii narratione, discussisque matura deliberatione vin-

diciis, a Societate datis, in pristina Censura suæ confirmationem conspirarunt universi; seu quod Semipelagianam foret propositio, seu quod totius Molinianæ doctrinæ fundamentum esset.

Differerunt nihilominus Plumbinus, & Bovius; quorum primus, Molinæ causam acturus, Semipelagianos errores, uti Catholica dogmata, ita audacter venditavit, ut ceterorum cachinnos excitaverit; quod cum ille deprehendisset, eos palam clamores edidit, ac tumultus, quos nec amicorum gratia, nec Episcoporum auctoritate compescere, facile fuit.

Decretum sub hac forma editum est.

„ Die Jovis, 5. Aprilis 1601. habita fuit Congregatio apud D. Cariatensem. Interfuerunt omnes Consultores, excepto D. Agathensi, qui negotiis impeditus interesse non potuit; sed significavit, se in Censura, alias facta in septimam propositionem Molinæ, persistere. Igitur expensis rationibus, quibus Patres Jesuitæ conabatur, Molinæ propositionem septimam & Censuram vindicare, censuerunt omnes, non obstantibus ex adverso adductis, persistendum in Censura, alias facta in prædictam propositionem; exceptis RR. PP. Procuratore Ord. S. Augustini, & Regente Collegii Carmelitarum; qui duo dixerunt, propositionem istam septimam non esse dignam aliqua censura.

„ Ita est : F. Propertius Resta, Episcopus Geruntinensis, & Cariatensis.

„ Ita est : ego F. Julius Sancturius, Episcopus S. Agathæ Gothorum.

„ F. Hippolytus, Episcopus Montis-Pelusii confirmo.

„ Ita est : F. Hieronymus Palanterius, Franciscanus Conventualis.

„ Ita est : ego F. Joannes de Rada, Ord. S. Francisci Procurator Generalis.

„ Hæc septima propositio maxime dissidet ab errore Pelagianæ, & Semipelagianæ; cum semper Molinæ doctrina neget causam meritoriam non solum condignam, sed etiam congruentem. Ego F. Joannes Baptista de Plumbino, Ord. Eremitarum S. Augustini, ut supra censeo, salva semper Ecclesie correctione.

„ Ego F. Gregorius Nunnus Coronel, Secretarius persisto in Censura.

„ Ita est : ego F. Joannes Antonius Bovius, Carmelita.

„ Approbo Censuram ego F. Jacobus le Bostu, Benedictinus, & Sorbonæ Parisiensis Doctor.

„ Et ego Ludovicus de Creil, Sorbonæ Parisiensis Doctor, persisto in Censura.

Die 9. Aprilis 1601. Congregationem vigesimam-primam in D. Cariatensis aedibus habuerunt DD. Consultores; ad quam amborum Ordinum Theologi accesserunt. Ad propositiones decimam-septimam & decimam-octavam, illarumque Censuras ventum est. Sic porro se habent.

Decima-septima Propositio.

„ Nonnulli ita hanc sententiam defendunt, ut duplex auxilium divinum constituent, quoddam efficax, & quoddam sufficiens; verumtamen inefficax. Quod vero auxilium efficax sit, aut inefficax, censent, nulla ratione tribuendum esse libero arbitrio, quasi ex eo auxilium quodcumque, sive magnum, sive parvum, efficax, aut inefficax sit: quod, cum arbitrium pro sua libertate possit consentire, & non consentire, cooperari cum illo, & non cooperari; si consentiat, & cooperetur, ut potest, efficiat illud efficax; si vero non consentiat, neque cooperetur, ut etiam potest, reddat illud inefficax; sed ipsi auxilio, sive Deo, efficaciter, aut inefficaci-

„ efficaciter per illud moventi, tribuendum esse, quod liberum arbitrium consentiat, aut non consentiat; ita ut, quoties Deus moverit per auxilium, quod ex modo divinæ motionis, atque ex Deo ipso habet, quod sit efficax, liberum arbitrium consentiat, cooperabiturque ad salutem: quod si moverit per auxilium, quod ab eo non habet, ut sit efficax, liberum arbitrium non consentiet, neque cooperabitur ad salutem. Certe non dubitarem, sententiam hanc, hoc ultimo modo explicatam, errorem in fide appellare; etenim ea data, non video, qua ratione libertas arbitrii nostri salva possit consistere.

„ Ita docet Molina in sua CONCORDIA, quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 6. §. Nonnulli & §. Certe. Et quæst. 14. art. 13. disp. 40. §. Antequam, inquit: Quo fit, ut divisio sufficientis auxilii in efficax, & inefficax nostra sententia ab effectu, qui simul a libertate arbitrii pendet, sumatur; illudque auxilium sufficiens, sive majus, sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate convertitur: cum tamen, nihil eo auxilio impediante, potuit non converti. Alioquin tale auxilium sufficiens non esse ad conversionem. In eadem sententia persistit §. Hinc quinto loco, & quæst. 23. art. 4. & 5. & disp. 1. mem. 9. §. Postremo, & alibi. Unde colligit mem. 9. §. Postremo: cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus justificatur, & salvatur, alius pro sua libertate nec justificatur, nec salvatur; & e contrario, &c.

Censura.

„ Hæc propositio, & doctrina P. Molinæ, quantum docet, efficaciam auxilii divini pendere ab affectu, & libertate arbitrii humani, non autem ab ipso auxilio, prout a Deo venit, & ex modo motionis divinæ, videtur tradi a Semipelagianis, ut licet videre in Epistolis S. Hilarii ad S. August. Afferitur autem a Molina contra expressam sententiam D. Augustini lib. De corrept. & grat. cap. 12. quam confirmat contra Semipelagianos lib. De Prædest. Sanct. cap. 2. & 20. & sæpe alias in eodem lib. & lib. De dono perseverantiae cap. 5. 6. 7. 9. 11. 13. 14. 19. 20. 21. 22. Ex quibus locis apparet, perstritisse semper Augustinum in sententia, quam docuerat lib. de corrept. & gratia citato.

Decima-octava Propositio.

„ Si arbitrium nostrum ab efficacia, & inefficacia auxilii divini habeat, quod consentiat, aut non consentiat Deo vocanti, & cooperetur, aut non cooperetur ad salutem, perseveretque, aut non perseveret in gratia; certe non ab innata, & propria libertate id pendet, sed a qualitate auxilii, & motionis divinæ; atque adeo neque est, quod illi cedat in laudem, & meritum; qui potius perit omnino libertas arbitrii ad salutem.

„ Ita docet Molina in CONCORDIA, quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 6. §. Certe §. Præterea, §. Item.

Censura.

„ Eadem argumentatione utebantur Pelagiani, ut videre est apud S. August. lib. De corrept. & grat. cap. 3. 4. 6. quos ita in eodem lib. S. Doctor impugnavit, & expugnavit, ut rationem, & argumentationem istam, qua Molina suam sententiam confirmare conabatur, nullius profusus momenti esse ostenderit, & propositionem ipsam, tanquam Divinis Oraclis contrariam, efficaciter redarguerit locis citatis, & capite etiam 6. 7. & 8.

De propositionibus ergo decima-septima, & decima-octava, jubente Ill. Præsidente, dixerunt Prædicatorum. Priorem, in tres partes distributam, Semipelagianam secundum omnes pronuntiavit D. Alvarus, multique Conciliorum, ac Patrum momentis ostendit. Alteram, cum Massiliensium erroribus collatam, ab hæresibus Pelagianæ delatoriis obtritam, affirmavit Thomas de Lemos, Molinamque non nisi obsoleta veterum hæreticorum arma recudisse, defendit.

Varia Responsonum suarum exempla Secretario obtulere; qui ea non modo Consultoribus dedit, sed & Patribus Societatis, ut iis pro arbitrio reponerent.

Dicturus ordine suo Gregorius de Valentia tarditatis suæ veniam rogavit, quod ad priorem tantum propositionem paratus accederet. Hanc itaque Molinæ factus est; sed adulterato scriptoris sensu, eandem, uti catholicam, & orthodoxam vindicavit: Quoniam vero, inquit Secretarius, præsentem propositionem, sub terminis, & sensu a Molina assertam, videbat se tuto defendere non posse; Molinam a Molina divisi, & extra proprios limites, & metas constituit; ut, si posset, illum, quem loquentem vix agnosceres, multo verborum fluo ab errore excusaret. Tum in oppositam sententiam de Gratia per se efficaci, a Molina impugnatam, converso sermone, eam a Calvinitarum, & Lutheranorum errore nihilo differre, contendit; Stapletonii, Suarezii, Ruardi, Tapperi, Pighii, Abulenii, Carthagena, Bellarmi, Vasquezii, aliorumque Germaniæ Theologorum suffragis in hunc finem magnificentius jactatis. Censuram Congregationis, veluti Calvinianam, ac Lutheranam, traduxit; cumque Augustinum in Molinæ partes trahere vellet, Corruptis ejus auctoritates non minus imprudenter, quam temere plura alia asseruit. Notarii verba sunt, publicis Actis inscripta.

His dictis, Responsonum exemplaria petiit Secretarius; quæ cum illi non attulissent, ea se die Jovis proxima transfusuros, spondponderunt. Hos ille subridens increpavit: Profecto, inquit, mirum est, quod Reverentia sua clamet miles, quod Molina non audiat; & nunc id ipsum vos omnes etiam clametis apud Principes; & nihilominus non possumus a vobis impetrare exemplaria, ut expendamus vestras rationes.

Acriorem audacia suæ Censuram tulit Gregorius de Valentia, quod non Prædicatorum modo, sed & Censores ipsos Lutheranismi notasset, minusque modeste dicendo se gessisset. Rem se Summo Pontifici relaturum, minatus est D. Cariatensis, nisi indignam viro Religioso petulantiam deponeret: Pater, addidit D. Agathensis, in multiloquio non desit peccatum, & aliquando mortale. Animadversionem iniquo animo tulit Valentia, tantisque turbas excitavit, ut propositiones decimam-nonam, & vigesimam pro futuri Congressus argumento festinanter dare, recepturique canere, necesse fuerit.

Dimissis Prædicatoribus, ac Jesuitis, aliquantulum subsisterunt Consultores: Omnesque mirabantur hominis temeritatem in corumpendis quibusvis Scripturis, & impudentiam in loquendo: inquit Acta publica Coronelli.

Die 12. Aprilis 1601. ad octavæ propositionis examen conveniant DD. Consultores: sed absentibus D. Agathensi, & P. de Rada, in sequentem hebdomadam dilatum est.

Data interim occasione, exposuit Ill. Cariatensis, sibi Summum Pontificem significasse, quo pacto de sacra Congregatione Patres Societatis expostulassent, quod ab ea, ut ajebant, durius exciperentur, nec sibi Prædicatorum observationes, contra Molinæ vindicias elucubraretur. Ha-

Habita deliberatione, sancitum fuit, ut sequenti die Summum Pontificem adirent. Illi Episcopi, facti veritatem exposuerunt. 1. Prædicatorum de Molina propositionibus, earumque Censuris iudicia Patribus Societatis tradita fuisse; eorumdem vero in Molina vindicias observationes eis datas non esse, consentiente, ac probante Gregorio de Valentia. 2. Multum abesse, ut a Congregatione male habiti sint Jesuitæ; Cum potius illi & insolenter, & imprudenter sepe se gesserint, & contumeliis totam Congregationem affecerint. 3. Nihil eos tot artibus meditari, quam ut studiosa procrastinatione Iudices tardio solverent, & Controversiæ definitionem declinarent. Cujus rei invicissimam argumenta suppetebant, petita scilicet frequentissime ad respondendum inducitur; supplicationes pro moderanda Congregationum frequentia sæpius oblata; affectata in afferendis vindictarum transumptis negligentia; intermissæ, ac tandem prorsus neglectæ, ad geminas Molina propositiones singulis hebdomadibus responsiones.

Hanc sibi demandatum provinciam Ill. Præfules obierunt. Quapropter ad Summi Pontificis audentiam sequenti die admissi, singula retulere, quæ ex Congregationis Decreto sancita fuerant. Inrimum doloris sensum indicavit Beatissimus Pater: nonnulla tamen præter juris ordinem Jesuitis concedi voluit, ne vel minima conquerendi ansa suppeteret: *Ut vobis, inquit, verum fatear, adeo me isti perturbant, ut peno mentis errore ex perturbatione me afficiant. Ac propterea, si vobis videtur, poteritis illis concedere Observationes Patrum Prædicatorum in suas Defensionis, quas postulant.* Urgentibus porro Ill. Episcopis, nihil Jesuitas ea arte moliri, quam ut studiosa dilatione iudicium averterent, respondit Pontifex, se officio non defuturum, ubi primum illi Congregationes absolvissent.

Die 16. Aprilis 1601. vigesima secunda Congregationi interfere cum Consultoribus Prædicatorum, ac Jesuitæ.

Ad propositionem decimam octavam respondit Christophorus Cobos; quam & ex Molina legitime petitam, & a Pelagianismo remotissimam defendit. In gratiam ex se efficacem impotentius declamavit, auxiliisque meræ possibilitatis constituit: quo scilicet semel posito, ex una arbitrii libertate peccatoris conversio suspenderetur. Ceterum cum hujus auxilii infallibilitatem in prædicationis ex Scientiæ-Mediæ directione repeteret, eoque sine S. Augustini testimonium proferret, *Si quisquam horum perit, fallitur Deus: sed nemo illorum perit, quia non fallitur Deus; hæc medio itinere Vir astutus.* Tunc indignatus Neritonensis Episcopus, *Prosequere, inquit, S. Augustini sententiam; addit enim: Si quisquam eorum perit, vitio humano vincitur Deus: sed nullus eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Quo ostenderet, non ex sola præscientia, sed ex Dei potestate esse, ut Electorum nullus periret.

Quæsitæ Cobos diverticula, ut effugeret: at infelicitate fati; tuncque maxime valuit Poetæ dictum: *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdem.* Cum enim eam auxilii divini invincibilitatem ex ejusdem respectu ad Scientiam-Mediæ, & ad consensum liberi arbitrii repetendam afferret, interrogavit Joannes de Rada: *Utrum auxilium divinum liberi arbitrii consensum, ut effectum, respiceret, an ut causam?* Substitit ad hæc Christophorus Cobos. Socio laboranti suppetias tulit Gregorius de Valentia; *Nodumque suæ potius, quam Theologica ratione dissolvere conatus est.*

Post hæc de propositione decimanona, ejusque Censura dixit Didacus Alvares. Sic porro illa se habent.

Decimanona Propositio.

„ Si Deus ita prædeterminavit omnes actus non malos arbitrii creati, ut ad eos movere, & determinare statuerit arbitrium per concursum ex se efficacem, sine quo arbitrium non potest illos elicere; manifeste perit arbitrii libertas explicata ad eos omnes actus, &c.

„ Ita docet Molina in Comment. ad 1. Partem S. Thomæ, quæst. 14. art. 13. disp. 18. mem. 2. §. *Hic posito*, & in CONCORDIA in edit. Antverp.

Censura.

„ Hæc propositio, prout intelligitur, & asseritur a Molina, non videtur aliena ab illa Pelagianorum, & Semipelagianorum sententia, qua calumniabantur S. Augustinum, sub Prædeterminationis nomine fatalem induxisse necessitatem, & appellacione Gratia bonos voluisse fieri homines fatali necessitate: quod videre licet apud S. August. lib. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 5. & lib. 4. contra Julianum Pelagian. cap. 8. & apud S. Prosperum, & S. Hieronymum in Epist. ad S. Augustinum, qui ita illorum tæmeritatem redarguit, ut, contra sententiam Molina aperte ostenderit, & docuerit, per Gratiam Dei ex se efficacem non delinui, sed firmari liberum hominis arbitrium. Ita tradit multis in locis S. Augustinus, sed potissimum lib. De corrept. & grat. cap. 11. 12. & 14. & lib. De grat. lib. arb. cap. 20. Epist. 105. ad Sixtum: quam sententiam confirmavit in lib. De prædest. Sanctorum, & de dono perseverantiæ, editis contra Semipelagianos.

Propositionem hanc, & a Molina locis citatis asseritam, & debita Censura notatam, agnovit Alvares. Multa in Gratia per se efficacis defensionem habuit; ex quibus Molina propositionem Pelagianis perinde, ac Lutheranis patrocinari, demonstravit: iis quidem, quatenus Gratiam ex se efficacem impugnat; istis, quatenus libertatem humanam Gratia ex se efficacis energia penitus excludere, profiteretur.

Ad vigesimam tandem, ejusque Censuram venit Thomas de Lemos. Ita vero expressæ erant.

Vigesima Propositio.

„ Sumpta in particulari Prædeterminatione ejusque, que adulti, quæ re ipsa jam ex æternitate fuit in Deo; sane sicut præcedente conclusione ostensum est, rationem sive conditionem, sine qua in Deo non fuisset præscientia, esse, quod adultus ipse pro sua libertate ita sit cooperaturus per suum arbitrium, ut ad vitam æternam perveniat; sic etiam ab hoc ipso, simili modo, fuit dependens, quod reliquum, quod eadem Prædeterminatio includit, vel fortiretur rationem Prædeterminationis, vel retineret solum rationem providentiæ circa illum in Beatitudinem.

„ Ita docet Molina, CONCORDIÆ quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. II. §. *Octava conclusio.*

„ *Sic nona conclusio.* In comment. mem. 2. ubi aliqua addidit. Vide etiam §. *Postremo* & *Illud addendum*, & §. *Illud etiam*, & ante hos præcedentes vide §. *Ut quæ hætenus*. Nec prætereundum, quod docuit §. *Secunda conclusio*, & mem. 6. §. *His ita consutatis*. In aliis editionibus multa addidit. Denique vide quæst. 21. art. 4. §. *Illud etiam*, & quæst. 23. art. 4. mem. 19. §. *Hæc ergo conclusio*, & mem. ult. §. *Quartum*.

Censura.

„ Ex locis præallegatis non obscure constat, secundum doctrinam Molina Prædeterminationem „ adul-

„ adultorum fuisse secundum præscientiam boni usus liberi arbitrii eorum, habuisseque Deum rationem illius in eis prædeterminandis. Quæ sententia fuit Semipelagianorum contra S. Augustini de gratuita Dei Prædeterminatione doctrinam, ut refert S. Prosper in Epist. ad eundem S. August. Quod si quæ Molina docet locis citatis, conferantur cum iis, quæ Semipelagiani dicebant, & S. Prosper refert; apparebit, Molinam & in sensu, & in verbis cum illis consentire. In eundem errorem lapsus fuisse Faustum Rhegiensem, constat ex ejusdem lib. De grat. & lib. arb. cap. 4. & lib. 2. cap. 3. & 6. quem Molina in quæst. 23. art. 4. disp. 1. mem. 11. in fine, cum SS. PP. Athanasio, & Chrysostomo, & aliis connumerat, & dicit, posse ad concordiam cum S. Augustino reduci; cum tamen non potuerit ignorare, illius libros fuisse, tanquam apocryphos, condemnatos a Sede Apostolica. Itaque præfatam propositionem impugnat S. August. in lib. *De prædest. Sancti*, & *de dono persever.* tanquam contrariam Sacris Scripturis, & Fidei catholicæ. Quos libros probat S. Prosper lib. *Contra collas*, cap. 41. & 42., fuisse approbatos a Celestino Papa: quod etiam a S. Leone, & Gelasio Summis Pontificibus factum fuisse, compertum est. Adeest etiam testimonium Hormisdæ Papæ tom. primo Epist. Decretalium, Epist. 67. Quomobrem D. Cardinalis Bellarminus lib. 2. De grat. & lib. arbit. dicit, & efficaciter probat, sententiam S. August. de gratuita Prædeterminatione, quam Molina contumeliose impugnat, non quorumvis Doctorum opinionem, sed Fidem Catholicæ Ecclesiæ dici debere.

Hanc propositionem vigesimam non a Molina duntaxat asseritam, verum etiam potissimum ipsius CONCORDIÆ scopum ostendit Thomas de Lemos. Gratuitam Prædeterminationem ad gloriam, ut Catholicæ Fidei dogma, propugnavit: ac demum varia Molina loca percurrit, ubi de Divina Prædeterminatione minus digne sentiret: suaque, ac Socii responsa scripto reliquit.

Dicentem indigne tulit Gregorius de Valentia; minaciæ vultu, contraria fe futuro congressu offerendum, spondidit. Congregationi interim supplicavit, ut vel ad sua responsa Prædicatorum minime reponeret, vel sibi saltem prolixiores inducitur concederentur. Assensu fuit Prædicatorum, modo ne fera procrastinatione res in causam abiret, causæque iudicium evanesceret.

C A P U T XX.

Quid a vigesimatercia quarti hujus examinis Congregatione ad vigesimam octavam tractatum, ac definitum.

Die 26. Aprilis 1601. vigesimam tertiam Congregationem in Palatio Episcopi Cariatensis celebrarunt D. Consultores.

Octava propositionis examen institutum est. Vindicias Societatis, in ejus defensionem datas, retulit, & exposuit D. le Bossu. Totæ illæ in asserenda humani arbitrii libertate versabantur; quasi ob vindictam hominis libertatem Molina intentata esset. Reconditiorem itaque Scriptores sensum detegere, necesse fuit: varisque collatis testimoniis, compertum est, ex Molina sententia propriam libero arbitrio indulgentiam eo sensu servari, quod ad Divinæ Gratia susceptionem nativis conatibus admitteretur.

In octava igitur propositionis damnationem consenserunt universi. Solus tunc Plumbinus dissentit; quem deinceps, habita subscribendi occasione,

Antonius Bovius imitatus est, qui tunc a congressu aberat.

Instrumentum sub hac forma prodit.

„ Die Jovis, 26. Aprilis 1601. habita fuit Congregatio apud D. Cariatensem. Interfuerunt autem omnes Consultores, excepto P. Regente Collegii Carmelitarum. Expensa vero propositione octava Molina, una cum Censura, in illam alias facta; consideratis etiam Defensionibus Patrum Jesuitarum, omnes, excepto R. P. Procuratore Ordinis Sancti Augustini, censuerunt, persistendum in Censura, non obstantibus ex adverso adductis a Defensoribus.

„ Ita est: F. Propertius Resta, Episcopus Geruntinensis, & Cariatensis, manu propria.

„ Ita est: F. Lælius Landus, Suesanus Episcopus Neritonensis.

„ Ita est: F. Julius Sanctutius, Episcopus S. Agathæ Gothorum.

„ F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusi confirmo.

„ Ita est: F. Hieronymus Palanterius, Franciscanus Generalis.

„ F. Joannes de Rada, Ord. S. Francisci Procurator Generalis.

„ Propositio hæc octava, stantibus sensibus adductis tum a Molina, tum a suis Defensoribus, & in meis Censuris, est aliena ab errore Pelagiano. F. Joannes Baptista a Plumbino, ut supra.

„ Persisto in Censura, ut in Decreto dicitur. Ego F. Gregorius Nunnus Coronel, Secretarius.

„ Ego F. Jacobus le Bossu, Benedictinus, & Doctor Sorbonicus, persisto in Censura.

„ Et ego Ludovicus de Creil, Sorbonæ Parisiensis Doctor.

„ Ego F. Joannes Antonius Bovius octavam hanc propositionem, sicut, & superiores, cum quibus convenit, tutam in fide & nulla censura dignam censo. Et ita subscripsi in Congregatione, habita die 4. Maji 1601.

Edito Decreto, exposuit, qui ab Adis erat, congruum omnino videri, ut qui ex meritis Censuris initio hujus examinis (anno scilicet 1598.) non adjuerant, suas in Molina doctrinam lucubrationes sibi traderent, in publicis Congregationis Commentariis reponendas. Subjunct, Plumbinum ultima scripta, quibus priora retractaverat, pari ratione asserere debere.

Probavit sacer Confessus consilium Aduarii. Uni tamen Plumbino displicuit; qui post quæstas aliquantulum excusationes, ægre tandem sua Congregationi scripta se traditurum, promisit. Cæteri, in Congregationem tardius admissi, prolixiorem Censuram, a Secretario Censurum nomine adornatam, amplexi, uti suam, haberi voluerunt.

Die 30. Aprilis 1601. vigesima quarta Congregatio apud D. Cariatensem, præsentibus Ordinibus Theologis, celebrata est. Eo absente, ac febris detento, Præsidis partes egit D. Episcopus Agathensis.

Propositionis decimanonæ defensionem suscepit Gregorius de Valentia. Molinam a Pelagianis ea in parte remotissimum dixit; quod illi quamlibet æternam Prædeterminationem, quasi humanæ libertati noxiam, pernegasset; iste eam duntaxat inficiatus esset, quæ Decreto ex se efficaci niteretur, qualem cum Lutheranis, & Calvinianis Prædicatoribus asseriebant. Lutherum, & Wicleffum, & Melanctonium, cum Bannese, Herrera, Lemosio, alisque Thomistica Scholæ Professoribus contulit. Quocirca Majorem, inquit Notarius, *caliditatem ostendit, quam deceret virum Theologum; & mino-*